

quidem ad ignominiam, his vero ad dolorem inferendum, ut merito dubitari possit, plusne contumeliæ an doloris inferre Christo voluerint.

Quarto, alii illudunt dicentes: *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Et alia multa dicunt *blasphemantes*. Quoties Christus, si more Judæorum agere voluisset, lacerare vestem debuisset? O insani ministri, non recordamini Christum a turbis habuim pro propheta? Non recordamini eas dixisse: *Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam?* Non recordamini illius, quod de eo dixit Samaritana: *Venite et videte hominem qui dixit mihi, omnia quæcumque feci?* Non ergo queat dicere, quis eum ex vobis percusserit?

II. Sistamus hic et horreamus, auditores. Quanta imprimis istorum ingratitude! Postquam enim Christus confessus est tam solemniter fidelem illum sermonem et omni acceptione dignum, Christum scilicet se esse desideratum cunctis gentibus, tunc principes et ministri in ipsum insilierunt, expuerunt, palmas et pugnos congesterunt.

Quanta illorum libido? Non ita milites insaniunt in castellum, quod eis diripiendum traditur, cum alius diripit, alius comminuit, alius incendit, alius prædatur, alius occidit: atque in Christum isti, quorum alius eum conspuat, alius capillis trahit, alius velat, alius cædit. Et vero reo morituro fieri talia inauditum est, homini innocenti et bene merito indignissimum; fieri Deo horrendum. Quanta eorum impietas! Dixit olim Sapiens, Prov. XXX. *Oculum qui subsannat patrem, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Quid dixisset porro de istis, qui subsannarunt Deum suum? Et si nescierunt esse Deum suum, scire tamen poterant ac debebant. Certe non ignorabant esse patrem patriæ et omnium afflictorum.

Quanta eorum temeritas, qui non metuunt Deum suum, tot miraculorum patratores cedere in faciem? Ingens fuit illius Poloni temeritas, qui in aula Matthiæ Corvini regis Hungariæ existens, famelico leoni carnem eripere ex ore, pugnumque impingere ausus fuit, dicens: *Offam dimitte canis, ut auctor est Crantzius Saxonie, lib. IK. c. XXIV.* Sed quanto major illorum, qui non timuerunt ipsi Deo colaphos impingere? Si Deum non crediderunt, sciebant tamen mira innumera patrasse, et cohortem uno verbo, velut leonem lepuseculos unico rugitu ad terram afflxisse. Polonum Corvinus ab aula sua removit, quod is animam suam venalem gesseret: istos vero toleravit Christus. Toleravit, sed ad tempus, donec nimirum eos e patria sua eiecit.

III. Sed cur ista omnia pati voluit Christus? Respondetur primo, quia erat noster redemptor. Idecirco luit nostra peccata. Nos autem Deo fecimus et facimus quotidie, quæ passus est ipse a ministris. Nos Christi faciem conspuimus, cum ejus sacramenta contumeliis afficimus, cum imaginem Dei in nos peccatis deformamus, cum proximum nostrum contemnimus et aversamus.

Nos faciem Christi velamus, quoties tenebras et latibula quærimus ad liberius peccandum, quoties rationem nostram ebrietate vel iracundia obnubimus, quoties affectata peccamus ignorantia, et oculos in terram declinamus, ne videamus cælum, Deum inspectorem, nostram conscientiam.

Nos alas et colaphos in eundem congerimus, quoties peccamus. In omni enim peccato avertimus nos a Deo, et convertimus ad creaturam: illud alapam meretur, id est, ignominiam; hoc vero colaphum, id est, tormentum. Rursum nos eum pugnis, id est, manu compressa cædimus per avaritiam, immisericordiam, oppressionem pauperum, defraudationem mercenariorum: palmis, id est, manu explicata, per prodigalitatem, superbiam vestium, ciborum superfluitatem, etc.

Nos ei illudimus quasi pseudoprophetæ, cum ita libere et temere peccamus, quasi cæcum et surdum, imo ligneum et plumbeum haberemus Deum, qui nec videat nos, nec punire possit.

Omnia ergo hæc probra et tormenta in Christum conglobantur, quia nos talibus Deum quotidie quasi imbre quodam obruimus. Et idecirco tam minutatim ab evangelistis hæc scribuntur, ut sciamus quantum constiterit Christo nostra redemptio et quantum illi debeamus. Si enim quis vel unicam alapam propter te accepisset immeritus, is certe eam tibi sæpius obtruderet: quanto magis Christus objicere nobis potest, quæ nostri causa pertulit, si ei ingrati simus? Non erubuerunt hæc illi scribere, quia non erubuit Christus ferre.

Respondeo secundo, quia erat noster doctor. Docuit olim verbis ferendas alas, contumelias, injurias: id nunc docet facto, cum innumeris alapis et contumeliis faciem suam offert militibus improbis, quos ictu uno prosternere simul et mittere in gehennam poterat. Tantum vero abest ut de vindicta nunc cogitarit, ut potius interim cum Patre suo tractarit, quomodo tortores suos ei conciliaret. Non enim cogitabat a quibus pateretur, sed pro quibus. Dicebat nimirum: *O Pater ignosce illis et omnibus hominibus, qui te hactenus ita velut insani et phrenetici tractarunt et in posterum tractabunt, uti me hæc*

hora. Itaque si quæras ubi Christus percutienti se in maxillam præbuerit alteram, respondeo sic dedisse, juxta id Isa. L. *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus, etc.*

Respondetur tertio, quia erat Deus qui relinquit homini liberum arbitrium; sed suo tempore ostendit se judicem et malorum vindicem. Patitur ad tempus pavlatim illudi sibi a similibus, sed postea opportuna ulciscitur. Ligari se permisit Samson, sed venit tempus quando atrociter se vindicavit. Nihil mansuetius erat Davide, cum offerebatur, uti in maledictione Semei patet; nihil eo ferocius cum ulcisci volebat, ut cum super Ammonitas transire fecit tribulas et trahas et ferrata carpenta, ita ut dissearentur et conterrerentur, I. Par. XX. Unde II. Reg. XXIII. vocatur *tenerrimus ligni vermiculus*; hic enim cum tangitur nihil eo mollius; cum tangit, nihil eo durius. Talis omnino Christus, qui et ipse in passione vermi comparatus est: ibi ejus mollitiem experti sunt Judæi, cum alapis et colaphis impune eum cæciderunt, sentient suo tempore ejusdem duritiem, et sentiunt partim nunc. Usque enim in hodiernum diem *manet adhuc velamen super eorum*, II. Cor. II. quia Christum velaverunt. Ad hæc *repperunt alapam æternam et omni deinde prophetia privati sunt*, inquit Origenes, quia alapis eum cæciderunt. Denique opprobrium sunt nationum et fetent coram omnibus, quia conspuerunt Christum.

Respondetur ultimo, ut hinc disceremus quanta libidine sæviant dæmones in damnatos. Si enim in viridi hæc fecerunt Judæi, quid in arido facient dæmones, hominibus adhuc longe infensiores?

§ XII. — PETRI NEGATIO.

I. Sequitur Petrus a longe. — II. Introducitur in atrium a discipulo. — III. Proditur ab ancilla. — IV. Negat. — V. Proditur ab alia ancilla. — VI. Proditur ab aliis. Cur labi permissus.

THEMA.

Petrus vero sequebatur a longe. Luc. XXII.

Refert Suetonius Tranquillus Julium Cæsarem cum a conjuratis in senatu peteretur ad necem, quemdam primo Cascam nomine fuisse, qui tecto pugione eum vulneravit. Sed quia is manifestus Cæsaris inimicus erat, non admiratum Cæsarem: ubi vero etiam Marcus Brutus Cæsari amicissimus irruit in eum, id vero acriter sensit, ita ut ei objiceret: *Et tu quoque Marce fili?* Ad eundem modum quando in Christum Dominum conju-

ratio Judæorum facta est, et Judas primus ac præcessor cohortis irruit in Christum, ferali eum osculo veluti pugione tradens ad necem, minus id sensit videtur Christus, quia ab hoste manifesto factum id sciebat. At vero ubi etiam Petrus intimus ejus amicus, negavit et pernegavit, id haud dubie acerrime sauciavit cor illius. Hinc enim ad illum conversus respexit eum; quasi sub obtutu illud ei objiciens: *Et tu quoque Petre fili?* Hinc olim per Davidem conquestus est hac de re Christus, Ps. LXXXVII. ad cælestem Patrem: *Elongasti a me amicum, id est, Judam, et proximum, id est, Petrum, et notos meos, id est, apostolos, qui relicto me fugerunt.* Quare attendamus nunc ad negantem Petrum.

I. Petrus sequitur Christum a longe. Sequitur quidem primo, ob promissionem suam, ejus memor, turpe existimabat non sequi dominum suum, docens nos prosequi bona proposita et fidem datam servare: quod utinam tamen fecisset constanter. Secundo, ob amorem quem erga Christum gerebat maximum.

A longe vero, ob timorem, quo jam occupatus fuerat. Pugnabant enim in corde Petri amor Christi, et timor mortis; ille trahebat, hic retrahebat.

II. Introducitur in atrium pontificis ab alio discipulo, qui introiverat cum Jesu, eratque notus pontifici. Non exprimitur quis fuerit iste alius discipulus: primo, quia parum ad rem faciebat, proinde ne curiose scrutaremur in ss. litteris et rebus fidei, quæ nihil momenti habent, vel scita nihil prosunt. Ægyptius quidam bajulus gestans quid velo apertum, percantanti quid portaret, respondet: *Idcirco obvelatum est, ne tu scires*, Plut. lib. de curiosis.

Secundo, quia officium non optimum, tametsi non malo animo præstitit Petro. In caveam enim et laqueum induxit illum, qui securius foris mansisset. Sic multoties amici et consanguinei inducunt suos ad lapsum cum in dignitates promovent, per favorem, pecuniam, etc. quia magnatibus noti sunt: quorum tamen officium memoria dignum non est.

III. Proditur et flectitur ab ancilla ostiaria. Primo, secundum Ambros. in Lucam eo loco: *Ut et iste sexus peccasse in necem Domini videretur: ut et iste sexus redimeretur per Domini passionem.* Nemo non ex virili sexu cooperabatur ad Christi passionem: principes, privati, sacerdotes, laici, amici, inimici, Judæi, pagani, liberi, servi, juvenes, senes, sexus tantum femineus deerat. Interveniunt igitur ancillæ dæ, ut sicuti ab omnibus, ita pateretur Christus et pro omnibus.

Secundo, ut præsumptio Petri retunderetur, et

jaetantia. Sic enim superbia et fastus Holofernis confusus est a Juditha, Judith. XIII. Goliath a Davide, I. Reg. VII. Pharaonis a muscis et cini- phibus, Exodi VIII.

IV. Petrus negat coram omnibus, dicens: *Nescio quid dicis*. Secundum Joannem: *Non sum*. Secundum Lucam: *Non novi illum*. Causae negationis seu potius gradus, quibus in hoc peccatum dejectus est, sunt primo, somnolentia tempore orationis in Oliveto. Ubi enim Moyses in oratione manus remisit, ibi vincebat Amalec: similiter ubi Petrus obdormiit, cum orare juberetur, ne intraret in tentationem, ibi paulatim decidit et carnis infirmitatem sensit ac mortem horrere cepit. Propterea tam sedulo monebatur a Domino: *Simon dormis? Orate ut non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; quasi praedicens illi rursus negationem ob timorem mortis*. Bonum est quidem propositum non peccandi, sed solum non sufficit, oratio adhibenda est et similia media. Dum ostiaria domus triticum purgans obdormiscit, neci domini sui causam dat, II. Reg. IV. *Sic cum mentis custodia virtutes a vitis separans obdormiscit*, ait Greg. I. I. moral. cap. XXXVI. *ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit*.

Secundo, tepiditas in sequendo Christo, sequatur enim a longe. *Jam proximus negaturo*, ait Ambrosius in eum locum, *neque enim negaret, si Christo proximius adhasset*. Unde bene dicitur Petrus calefecisse se ad ignem, quia frigus erat; videlicet in ejus corde, magis quam in aere. Qui ex ephippio levatus est, facile dejicitur. *Igitur tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, Apoc. II.

Tertio, praesumptio, quia dixerat: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*. Item: *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire*. Rursum: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. XXVI. et Luc. XXII. Multum enim de se praesumens pericula non vitat, sed quaerit, adeoque praecipitium. Hinc palatium Caiphae intravit, plebeculae se sociavit, etc.

Quarto, oblivio; siquidem verba Christi tam serio praemonentis susque deque habuit, et vel non credidit, vel memori mente non reposuit. Est enim familiare illis, qui de se praesumunt, oblivisci verbum Dei, nec curare admonitiones, tamquam ad se non pertinentes. Hinc licet primo gallus cantaret, id tamen non advertit Petrus.

Quinto, introitus in palatium seu atrium pontificis, ubi infimae plebi se immiscuit calefaciens se ad prunas. In ejusmodi enim aedibus, omne genus iniquitatis et discitur et docetur, et omnia mala fiunt. In curia Herodis magi stellam per-

dunt, Joannes caput perdit: in curia Caiphas Petrus fidem perdit et robur animi, ac pejerare discit. Petrus cum discipulis manens, Christum praeter omnibus audentissime confitetur: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; in curia vero cum impiis ministris haerens eundem negat pertinacissime: *Non novi hominem*.

V. Proditur ab alia ancilla, necnon et a ministris quibusdam dicentibus: *Et tu ex illis es*. Et Petrus rursus negat cum juramento. Vide quomodo Petrus primo de peccato in peccatum ruat, adeoque funem peccatorum texat, ut dicere possit: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Qui enim semel deliquit, audacior et paratior redditur ad saepius delinquendum. Unde et tertio negat eadem facilitate. Nec dubium quin saepius negasset, si saepius interrogatus fuisset; unde S. Augustinus: *Deo gratias, inquit, quia cessavit interrogatio; si non cessaret interrogatio, diu repetitur negatio*. Qui per scalam cadit, de supremo gradu ad imum decidit: ita fere in peccatis fit. Unde de aedificatoribus turris Babel ait Dominus, Gen. XI. *Ceperunt hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus et confundamus linguam eorum*.

Secundo, quomodo de levioribus in graviora ruat. Primo enim simpliciter negat: secundo cum juramento; tertio cum execratione et devotione sui. Peccatum enim pondus est, quod semper ad inferiora trahit. Et majora peccata generantur ex minoribus, uti in plagis Aegyptiacis post cimiphes secuta sunt muscae grandiores, Exod. VIII. Sic ex furtis nummorum devenitur ad furta florenorum, hinc ad rapinam, hinc ad homicidia.

Tertio, quomodo occasio peccandi non vitata rursus peccatum pariat. Exiverat enim Petrus ante atrium post primam negationem, sed quia iterum regressus est, iterum tentatus est, et iterum negavit. Hanc clamat Jeremias, c. XI. *Fugite de medio Babylonis et salvet unusquisque animam suam*, S. Ber. ser. XXX. de conversione ad clericos: *« Quidni, inquit, periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc saeculo nequam? Fugite de medio Babylonis, fugite et salvate animas vestras. »* Sic ille. Sed quam multi similes Petro, qui licet experti sint lapsum super glaciem eandem, tamen nihilominus rursus ingrediuntur.

VI. Proditur ab aliis qui astabant, dicentibus: *Vere et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit*. Et speciatim a cognato Malchi dicente: *Nonne ego te vidi in horto cum illo? Tunc cepit Petrus detestari et jurare, quia non novisset hominem*. Quo diutius persistit Petrus apud malam societa-

tem, et perseverat in peccato, eo gravius tentatur (scilicet a cognato Malchi, teste oculato) eo- que gravius peccat. Ita quo diutius persistis in cognitione mala, eo acrius tentaberis et gravius delinques.

Sed cur labi permissus a Deo Petrus? Respondetur primo, in poenam praesumptionis ejus, ex qua etiam pericula peccandi adiit, et se contra ea non armavit. Hinc ter negavit, quia ter praesumptuose locutus erat. Primo: *Et si omnes in te scandalizati fuerint egonunquam scandalizabor*; secundo: *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire*; tertio: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Unde S. Aug. I. XIV. de civit. c. XIII. ait: *« Audeo dicere superbis, esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum; ande sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceci- derant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit. Hoc dicit et sacer psalmus: Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine; id est, ut eis placeat quaerentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quaerendo suum. »* Sic Aug.

Secundo, *ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia praevalere*, ait August. serm. CXIV. de temp. Agnosceis ergo humum imbecillitatis specimen, et quam nihil possumus nobis ipsis relictis. Si enim Petrus fundamentum Ecclesiae, cui divinitatem Christi revelaverat Pater coelestis, quique praeter ceteris omnibus Christum Deum apertissime confessus est, tam turpiter lapsus est, ubi sibi relictus, quis non trepidabit? *Non sit delectatio minorum*, ait Augustinus, hom. XXI. *lapsus majorum: sed sit casus majorum tremor minorum*.

Tertio, ut disceret ipse Petrus tamquam futurus Ecclesiae pastor ex iis quae passus est, misericordiam, adeoque compati postea aliis poenitentibus ad se venturis, a seipso eruditus, quanta esset fragilitas humana. Unde S. Gregorius, hom. XXI. in evang. ait: *« Magna actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, ut his qui futurus erat pastor Ecclesiae in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset. Prius igitur ostendit eum sibi et tunc praeposuit ceteris, etc. »*

Quarto, ut in summo honoris fastigio aliquando constituendus velut Ecclesiae pontifex, apostolorum apex et miraculorum insignis patratore haberet; unde perseveraret in humilitate et ardentior dilectione Christi. In humilitate quidem, tamquam lapsus sui memor; in dilectione vero tamquam cui plus dimissum est. Unde postea toties interrogatus est: *Diligis me plus his? Plus enim amare debet, cui plus donatum; et*

cui minus dimissum minus diligit, Luc. VII. Quinto, in solatium poenitentium, ut nemo desperet de Dei misericordia, cum Christus Petro non modo tam facile ignoverit, sed etiam post lapsum tanta beneficia contulerit, ut eum principem apostolorum et vicarium suum ac summum Ecclesiae pastorem constituerit. Vident hic peccatores impletam Dei promissionem, Ezech. XVIII. *Si impius egerit poenitentiam, etc. omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Tantum enim abest, quod Christus post resurrectionem exprobraverit Petro lapsum, ut etiam speciatim ei nuntiari suam resurrectionem jusserit, eique summum pontificatum contulerit.

Sexto, ut intelligeremus quales apostoli ante adventum Spiritus sancti fuerint, et quales postea facti sint. Ante adventum, perterrentur et prosternuntur a voce ancillae, post adventum contemnunt increpationes et furorem regum, vincula, tormenta, rugitus leonum, etc. Unde Act. IV. coram principe sacerdotum, Anna, Caipha, Joanne, Alexandro et toto sacerdotali genere comminantibus sibi, ne docerent amplius in nomine Jesu quidquam, dicit Petrus et Joannes: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui*.

Septimo, *ut in omnibus (Petrus) disceret Christo parere verioraque dicta istius crederet, quam quae sua sibi conscientia testaretur*, inquit S. Chrysost. hom. LXXXIII. in Matth.

Porro Petrum in hoc lapsu imitantur primo, qui Christum et fidem abnegant, uti Julianus imperator, qui baptismum suum impuro victimarum sanguine abluit; Greg. Nazianz. orat. I. in Julian. Similiter qui ab Ecclesia catholica ad haeresim deficiunt. Nam *quisque ille est*, inquit S. Cyprianus, ep. LIII. ad Antonianum, *et qualiscunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est*. Et rursus de Simpl. praelat. *Non potest habere Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem*.

Secundo, catholici qui inter haereticos forte constituti carne vescuntur diebus jejuniorum, ne pro Catholicis agnoscantur et irrideantur, atque adeo facto ipso dicunt: *Non sum papista*. Quo facit id Augustini, XI. q. III. c. *Non solum: « Non solum, inquit, abnegat Christum, qui eum non dicit esse Christum, sed etiam qui cum sit, negat se esse Christianum. »*

Tertio, qui contra fidei praescripta vivunt. De quo apostolus ad Tit. I. *Constituntur se nosse Deum, factis autem negant*. Quo loco S. Hieronymus ait: *« Christus est sapientia, justitia, veritas, sanctitas: negatur per insipientiam sapientia, per ini-*

quitate justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo, et quoties viliis vincimur, Deum negamus. » Sic ille.

Quisquis ergo Petrum secutus est errantem, sequatur et penitentem.

§ XIII. — PETRI CONVERSIO.

I. Gallus iterum cantat. — II. Dominus respicit Petrum. — III. Petrus egreditur foras. — IV. Flet amare, lacrymæ ejus salubres.

THEMA.

Conversus Dominus respicit Petrum. Luc. XXII.

Sæpenumero legimus et videmus ante ruinam aut obitum summorum capitum præmitti aliqua præsentia, veluti cometas et similia ostenta.

Negationis Petri qui caput Ecclesiæ futurus erat non expressam tantum prædictionem præmisit Dominus, sed etiam figuratam, Matth. XIV. quando Petrum volentem ad se venire super aquas, mergi nonnihil passus est, postea tamen extenta manu ex undis erexit, ut advertit ibi Theophylactus. Sicut enim ibi dixit Petrus: *Jube me venire ad te super aquas*, ita postea dixit: *Non te negabo*. Sicut tunc perterritus a vento valido cœpit mergi Petrus: ita postea terribus metu mortis ab interrogantibus, cœpit negare et anathematizare. Ibi manum porrexit ei Dominus et erexit eum; hic conversus repperit eum et erexit ad penitentiam.

I. Gallus iterato cantavit, Petro adhuc loquente. Primo, ut prædictio Christi confirmaretur et infallibilis appareret. Et sicut hæc verificata est, ita verificabuntur et aliæ. Putant impii peccata sua fore semper occulta et impunita, si in illis non deprehendantur, vel si eorum nulla sit memoria, verbi gratia, de re male parta; sed falluntur. Cantabit aliquando gallus saltem in morte. Nonne S. Menradi interfectores corvi, et ibi interfectores prodidere grues, cum putaretur res sepulta?

Secundo, ut Petrus hoc cantu excitaretur ad agnitionem peccati sui et penitentiam. Denuntiavit enim Petro, quid fecerit, tamquam præco penitentia, quasi dicat: *Evigila Petre, siquidem galli excitandis a somno hominibus nati sunt*; (teste Plinio.) In vita B. Epiphani apud Sur. 12. maii refert Joannes ejus discipulum Charinum diaconum, mensæ Epiphani cum aliis clericis assedis, et interim corvum ter qua-

terve crocitasse: rogante ergo Charino, quid portenderet illa vox, respondit Epiphanius, Charinum diaconum moriturum, quippe quem Deus punire intenderet. Ita evenit; nam dicta gratiarum actione, Charinus apoplexia tactus, domum a famulis delatus et mane mortuus est. S. Athanasio Alexandriam ingrediente, cornix crocitavit: Græci igitur gentiles cum scommate eum interrogant, quid loquatur cornix? Tum Athanas. *Cras*, inquit, *insonat, significat enim crastinum diem, quo annuam hic celebratis festivitatem, non ex animo vobis cessurum*. Atque ita factum; nam edicto imperatorio festivitas eorum sublata est. Nieph. l. IX. c. XXXIV.

Designat autem hic gallus primo, concionatorem secundum S. Greg. in Job cap. XXXVIII. Idecirco in templorum apice solet effigies ejus poni. Debet ergo concionator instar galli peccatores forti clamore excitare et pulsare. Tametsi enim ad eorum vocem non statim excitantur, tamen aliquando vel serio recordabuntur auditorum, et inde emendantur, uti fecit Petrus, qui post respectum Christi recordatus est cantus illius, deinceps post gallicinium semper surgebat e strato et peccatum suum lacrymis ac precibus eluebat. Molestus est galli cantus nocturnus piger; sed gratus laboriosus. Par ratio de concione. Gallus antequam cantet, seipsum alis percudit: ita concionator seipsum primo reprehendere debet, tum alios, exemplo S. Pauli, I. Cor. IX. *Castigo corpus meum et in servitute redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*.

Secundo, significat syndæresin, quæ peccantibus oclamat et vociferationibus suis conscientiam illorum implet, secundum Justinianum, l. de Christi agone, c. IX. Viderit unusquisque, ut si forte peccavit, ad vocem istius continuo excitetur. Sane quemdam parricidam apud Plut. affligebat hirundinum cantus, quod viderentur prodere ejus parricidium: ideo de nido eas deturbabat.

Tertio, gratiam prævenientem et excitantem, quam alii quidem audiunt, alii vero minime. Quemadmodum vero gallus initio protractiores et fortiores edit sonos, postea paulatim desinit in conciores et minutiores: ita qui primas Dei excitationes excludit, meretur paulatim deseri et minus efficaciter excitari.

II. *Conversus Dominus respicit Petrum*: primo, ut moneret eum prædictionis suæ, q. d. nonne prædixit tibi? Non audis, non advertis gallicinium? Solemus enim cum aliquem clanculum admonere volumus aliis non advertentibus, fortis cum obtutu aspiciere, quasi putibus locuturi.

Secundo, ut doceret eum illo aspectu, quanta sit hominis fragilitas: et quam non sufficiat propositum voluntatis humanæ, nisi auxilio supernaturali roboretur. Debebat ergo vigilare continuo et orare, ne intraret in tentationem.

Tertio, ut intelligeremus sine Dei respectu et gratia neminem converti posse. *Non solum cum igitur penitentia; verum etiam ut agatur, Dei misericordia necessaria est*, ait S. August. in enchir. Quam difficile excitatur peccator! Non excitabatur Petrus per trinam suam negationem, non per iteratum galli cantum; respectu Christi indignuit. Unde S. Ambr. in Luc. l. X. super hunc locum: « Negavit primo Petrum, inquit, et non flevit, quia non respexit Dominus: negavit secundo, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus; negavit et tertio, respexit Jesus, et ille amarissime flevit. Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum. » Sic Ambrosius. Unde patet non sufficere solam concionatoris vocem, nisi Deus cor audientis intus tangat, respiciat et emolliat. Idecirco ante concionem præmitti solet oratio ut ad prædicatoris vocem accedat Dei respectus. Quamdiu dorsum vertes speculo, vertet etiam imago tibi dorsum, sed si ad speculum te converteris, convertetur et illa ad te et aspicientem te aspiciet. Sic Dominus conversus ad Petrum, convertit ad se Petrum.

Quarto, ut hoc aspectu velut sol liquefaceret cor Petri, congelatum frigore timoris. Ubi vide et admirare Domini bonitatem, qui licet captus et ligatus, oculos tamen suos circumfert, iisque, quoniam alter non poterat, quærit ovem perditam. Ferunt ictericos si charadrius avis aspiciat, sanitatem recuperare: si ab illis oculos avertat, mori, *Alian. hist. anim. l. XVII. c. XII. Alb. M. de anim. l. XXIII. lit. C. ita res habet cum oculis Dei. Unde Ecclesia canit: Si respicis, labes cadunt, fletuque culpa solvitur*, quasi huc aludens.

III. *Petrus est egressus foras*. Primo, quia jam se indignum Christi aspectu ulteriore judicabat, quasi ob pudorem sceleris sui oculos ejus fugeret. Sic enim servus male sibi conscius fugit heri sui conspectum. Sibi a Christo dictum putabat illud Cant. I. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum tuorum*. Sic Adam ob peccatum et nuditatem suam confusus abscondit se a facie Dei.

Secundo, ut locum quæreret solitarium et accommodatum ad plorandum ubertim, qui creditur fuisse fossa quædam. Sic Isa. XXII. dicitur: *Recedite a me, amare fletu*.

Tertio, ut ab improborum se consortio segregaret, memor jam infirmitatis suæ, ne forte rursus tentatus, relaberetur; sic qui sinceram agere vult penitentiam, fugere etiam occasiones peccandi debet, saltem proximas.

Flevit autem primo, quia ab oculis Christi, oculi ejus vulnerati erant.

Secundo, quia lacrymæ perfectæ penitentia rationem habent. Primo, testes sunt animi contriti; secundo, sunt tacita quædam confessio. Unde S. Ambro. in eum locum ait: *Lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur*. Tertio, habent vim satisfaciendi. Unde Amb. ibid. subdit: *Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur*. Nihil est tam fœdum, quod non ablui possit lacrymis, si in tempore fundantur. Per has avertere captivitatem suam et vastationem urbis suæ potuissent Judæi, si quemadmodum Isa. XXI. ad fletum vocati erant, flevisset; sed quia non fleverunt ac potius comedere carnes et bibere vinum cœperunt, juravit Dominus non dimissurum se iniquitatem eorum, uti factum. Idem asyllum monstravit illis Christus, quando flevit super Jerusalem, prævidens ejus excidium. Unde ait: *Quia si cognovisses et tu! scilicet feres et tu mecum*. Sed quia nec tunc fleverunt, ideo excisi et exterminati sunt. Vocat etiam nos Deus tempore præsertim quadragesimæ ad fletum et planctum, velut optimum et efficacissimum medium placandi Deum et peccata nostra ablunda. Væ nobis, si Judæos illos imitemur!

IV. *Flevit amare*. Fuerunt hæ Petri lacrymæ admodum salutare et laudabiles. Primo, quia seriæ et copiosæ; flevit enim amare. Nos multo sæpius et quandoque gravius peccamus, minus tamen ploramus.

Secundo, quia acceleratæ; non enim hæsit diu in peccato, postquam a Christo respectus est, sed illico in se rediit et peccatum deflevit. Ita electi cum labantur, cito ad se redeunt, uti et equus generosus, qui a cespitatione fortuita illico se colligit, et quasi verbera metuens exilit, cautiorque incedit.

Tertio, quia calidæ, seu ex amore Christi profectæ, non ex timore supplicii aut penæ. Ubi enim recordatus est verbi Jesu, id est, fidelissimæ præmonitionis ejus, optimi patris et magistri, etc. flere cœpit. Nullum pro peccato isto supplicium a Judæis inferendum metuebat, nihil etiam temporale per hoc perdidit, solam igitur spirituales jacturam deflet. Nos contra fere temporales tantum jacturas plangimus, spirituales non curamus. Frigidæ sunt hæ lacrymæ.

Quarto, quia perennes. Flevit enim postea semper, quoties galli cantum audivit, ita ut lacrymis